

Bibliothèque numérique

medic@

**Menager, Pierre-Michel - candidat /
Ferrand, Jean-Baptiste-Guillaume -
président. - De labro leporino**

1766.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°14



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)


Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0014



LABRO LEPORINO.

CELSISSIMO, POTENTISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE
PRINCIPI GOTHOFRIDO-CAROLO-HENRICO
A TURRE ARVERNIAE,
PRINCIPI TURENNIO,
PRINCIPI HÆREDI BULLIONENSI,
MAGNOQUE FRANCIAE CAMBELLANO
DESIGNATO, &c. &c.

()





EXCITATIONIS MO EXCITATIONIS MO

PRINCIPIS GOTTFRIEDO-CAROLO-HERNICO

A TURRE ARVENNIE,

PRINCIPIS TURENNIO.

PRINCIPIS HEREDI BULLIONENSIS,

PRINCIPIS FRANCIS CAMPILLANO

DESIGNATO, &c. &c.

()



DE
LABRO LEPORINO.
THESES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

I.

TOT malorum speciebus, discruciamur miseri mortales, ut nulla sit vel minima pars nostri, quæ peculiarî quodam morbo laborare, non deprehendatur. Vultus ipse, sublimi ac eximiâ structurâ conspicuus, animæ theatrum, in quo supremi numinis sigillum tam eleganter appositum stupentes miramur, vultus, inquam, nunc fœdâ vulnerum lue indecorè dilaceratus, nunc à pravâ conformatione inhonestè deturpatus, atræ malorum cohorti patefcit obnoxius. Varios inter faciei morbos, annumeratur Labrum Leporinum, de quo post brevem labiorum expositionem, sumus dicturi.

A

Duo labra seu labia, musculis potissimum conflata, spongioso quodam atque molliusculo texto, quod absque concursu actionis muscularis intumescit quandòque atque detumescit, gaudere videntur. Extùs tegumentis communibus, intùs membranâ oris, sub quâ glandulæ miliares & lenticulares sitæ sunt, obducuntur. Rubicundi labiorum margines, papillis villosis, longiusculis, admodum subtilibus, sibi que invicem arctissime agglutinati, componi videntur. Prolabiis epidermide spoliatis, & aquâ aliquandiù maceratis, copiosissimæ nervorum propagines observantur; hinc mira eorum sensilitas. Superius labrum sub septo nasi, inferius ad radices dentium incisorum, peculiari freno intermedio seu ligamento gaudent, quod *frenulum* vocant.

MUSCULORUM numerum varii variè exponunt auctores anatomici. Juxta *Heisterum* quatuordecim sunt labrorum musculi, vario motui animique affectibus inservientes. Labra constringit musculus *orbicularis* dictus, cujus fibræ quasi arciformes; abducunt duo risorum paria, *zygomaticus* & *buccinator* ductu salivali Stenoniano perforatus; elevant labra vel *communes* duo *canini* dicti, vel *proprii*, *incisivus* superior & *incisivus* inferior; deprimunt tandem duo *triangulares* & *quadratus*. Alii longè plures numerant. Horum-ce musculorum originem ac finem, vivâ voce explanare conabimur.

Ad musculos labrorum, merito referuntur *pyramidatus* nasi & *Platysmamyoides*.

LABRORUM arteriæ *coronaria* dictæ, à carotidis externæ ramo originem mutuuntur, venæ in jugularem externam sese exonerant.

NERVOS à maxillari superiori præsertim, à maxillari inferiori, sicut à portione durâ nervi septimi paris, provenire, in confesso est apud omnes.

LABRA roseo colore nitentia, non modò ad blandam oris venustatem, necnon ad vultus lepores ac elegantiam purpu-

5

reo splendore conferunt, non modò variâ musculorum actione, varios animi motus, varios affectus nervosè exprimunt, sed etiam ad manducandum, bibendum, sugendum, loquendum, &c. miram præstant opem. Os claudunt, dentesque & partes oris internas, à frigore & nocivo corporum ambientium occurfu, protegunt.

I. I. I.

LABIUM, superius præsertim, in quibusdam hominibus, ita fissum quandoque ac decurtatum observatur, ut Leporinum Labrum satis manifestè referat. Quod vitium, pro majori, minori-ve in labris hiato aut defectu, vel pro majori, minori-ve mutilatione, nunc mitius est, nunc gravius. Quandoque duplex adest in uno eodemque labro fissura, & tunc *duplex Labrum Leporinum* nuncupatur. In quibusdam, quando connatum est istud vitium, palatum sæpè ex parte finditur, aut ad nares & uvulam usque fissura extenditur. Simplex aut complicatus iste morbus, vel natales debet pravæ in utero materno conformationi, vel causis externis, ictibus v. g. vulneribus neglectis, &c.

CERTISSIMIS dignoscitur signis Labrum Leporinum. Præter maximam quam infert deformitatem, impedit quominus tenelli infantes lac ex uberibus sugere, aut adultiores facti, verba penitus articulare valeant.

ILLUD habet incommodi labri inferioris fissura, quod saliva in ore retineri nequeat, undè continua pretiosi illius liquoris jactura (a), undè ventriculi imbecillitas, virium prostratio, extenuatio, tabes, &c. Eodem accedit, quòd curatio, ob salivam ad partem affectam continuè affluentem, difficilis admodum deprehenditur.

SI ob insignem substantiæ jacturam, labrum fissum ac decurtatum nimis dehiscat, maxima occurrit difficultas. Attamen faustâ freti experienciâ, curationem potenti beneficæ artis

(a) Clarissimus M. *Tronchin*, vir inter Medicos inclytus, Serenissimi Principis Aurelianensium ducis Protomedicus, Regiæ Chirurgiæ Academiæ Socius, &c. Vidit Amstelædami mulierem cujus labium inferius cassum, tantæ salivæ copiæ exitum præbebat, ut debilis, macie torrida,

A ij

auxilio credere, non dubitamus, quidquid in contrarium proferant auctores celeberrimi, qui huic nostræ sententiæ adversantur.

APUD parvulos, qui vix risu matrem cognoscunt, propter vagitus & perpetuos ejulatus, nil proficeret Chirurgia. Ab operatione, in senioribus, cachecticis, &c. absteineatur.

SUTURAM intortam, Labro Leporino dicatam, ut inutilem, infidam, immò noxiam (b) reprobamus.

SOLA nobis sufficit, quandòque tamen, sed rarissimè, nodosæ futuræ conjuncta, Clarissimi Magistri *Louis* uniens fasciatio.

ANTE operationem, sedulò quædam præmittenda veniunt. 1^o. An simplex, aut duplex sit labii fissura. 2^o. An magnus sit hiatus. 3^o. An tumore, dente prominente, &c. oblessa sit gingiva. 4^o. An aliquâ lue contaminetur purpureus latex. 5^o. An naris ozæna adsit, &c.

OMNIBUS ritè perpensis, nocivis, si quæ sint, corporibus remotis, ægro convenienti in situ collocato, deformes labii fissi oras, scalpro, non forficibus, chartâ duplici gingivam inter ac labrum interpositâ, æquali tractu solèter abscindit Chirurgus, fit vulnus, è vasis erumpens sanguis expuitur, aquâ frigidâ aspergitur vulnus, cujus oras cruentas, frustulo emplastri glutinantis (gallicè *taffetas d'Angleterre*) super imposito, adducit Chirurgi adiutor. Deindè sic instituenda deligatio.

SUMITUR fascia in duo capita, cujus unum diffinditur, voluta, tres circiter ulnas longa, latitudine ad transversum

sento marasmo consumpta, periisset. Operationem in talibus fieri solitam, huic mulieri suasit sagax sanitatis minister, quâ peractâ & absolutâ curatione, refecta in dies ac corpulentior facta, pristinum habitum, pristinas vires brevi recuperavit, acceptumque vitæ beneficium, non inani, quæ assumpserat, medicamentorum farragini, sed efficaciori Chirurgiæ, memor retulit.

(b) Vide in actis Regiæ Chirurgiæ Academiæ, Tom. III. Dissertationem M. *Pibrac*, cui titulus: *Mémoire sur l'abus des futures*.

digitum accedens. Fronti immediatè applicata, ad nucham pergit, ibique cruciatim disposita, versus nasum, cavendo ne lædantur aures, reducitur. Ubi naribus respondet, spissis super genas spleniis propè aures apposis, duplici fissurâ tres circiter transversos digitos longâ, scinditur fascia, ut capitis fissi extremitates, per duo hæc foramina trajectæ, genas adducere, & coadunatas vulneris oras, sat firmiter stringere valeant. Tùm sub utroque zygomate, ad nucham redit fascia, ubi iterùm formatâ cruce acubus fixâ, ad frontem pergens, caput percurrit. Incarnans illa fasciatio, duobus firmatur linteis, quorum unum à fronte ad occiput, alterum verò ab aure dextrâ ad sinistram ducta, acubus, vel filo fixa, retinentur.

APPARATUS postridiè sequentibusque diebus eluitur & aquâ vulnerariâ leviter irrigatur. Solidorum eduliorum abstinentiam, quietem ac silentium Chirurgus imperat. Quinto, sextove die, modestâ manu, deligatio solvitur.

TUTISSIMA ac lenissimâ hac methodo (c), brevi compescitur hæmorrhagia, brevi coalescunt vulneris oræ, brevi, juxta naturæ artisque vota, tollitur deformitas, nec fœda remanet cicatrix. Quod erat demonstrandum.


(c) Præstantis suæ methodi, solerter à se ipso adhibitæ, prosperos eventus, pluries observavit M. Louis, hancque in peculiari de *Labris Leporinis* dissertatione Academiâ, publici juris faciet vir egregius, de Chirurgiâ meritissimus.


Mulierem viginti annos natam, Labro Leporino ab ortu afflictam, hac arte, intra paucos dies, feliciter curavit, hujusce actûs præses.

Has Theses DEO DUCE, & Præsidi M. JOANNE - BAPTISTA-
 GUILLELMO FERRAND, Præclaræ Artium Facultatis &
 Chirurgiæ Magistro, Regiæ Chirurgiæ Academiae Socio,
 Scholarum Chirurgiæ Practicarum Professore, necnon Re-
 giæ Scientiarum, Litterarum & Artium Academiae Rotho-
 magensis Correspondente, tueri conabitur, PETRUS-
 MICHAEL MENAGER, Parisinus, Præclaræ Artium Faculta-
 tis in Universitate Parisiensi Magister, Chirurgiæ Collegii
 Candidatus.

PARISIIS,
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
 Die Sabbati vigesimo octavo Junii, Anno Salutis 1766, à
 sesqui-secundâ pomeridianâ ad septimam.
 PRO ACTU PUBLICO
 ET
 MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
 Typographi.





+ mort. en 1786.

+ tous les deux dans leur état. l'un se vantait seulement
 par routine dans la pratique, mais peu dans la théorie.
 l'autre parfaitement ignorant dans l'une et dans l'autre.

annobli en janvier 1777.
 chevalier de l'ordre de St Michel, admis et nommé
 en juillet 1777. et ~~de~~ en 1778